

IN NOMINE SS. TRINITATIS,  
DEI PATRIS, FILII, ET SPIRITUS SANCTI,  
SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI, ET DOMINI,  
DOMINI  
**FRIDERICI AUGUSTI,**  
REGII PRINCIPIS, ET ELECTORATUS SA-  
XONICI HÆREDIS EXOPTATISSIMI,  
DECANUS  
THEOLOGICÆ FACULTATIS IN ACADEMIA  
WITTEBERGENSI,

**JOHANNES Deutschmann / D.**  
PROFESSOR PRIMARIUS, SENIOR,  
TEMPLI O. SS. PRÆPOSITUS, ET ALUMN.  
ELECT. EPHORUS,

IN SOLENNI QVADAM OCCASIONE  
PRIMA VERNALIA MESSIÆ JUBILÆA  
EX PARADISO Genes. III.  
CUM PRÆSENTIBUS HUIUS ANNI JUBILÆIS,  
PIE COLLATA,

PRO-RECTORI MAGNIFICO,  
PATRIBUS, ET CIVIBUS ACADEMICIS  
IN DOMINO  
EX STUDIO PIETATIS  
OFFERT.

Coll. diss. A  
161, 4

571. A. 161(4)

~~ACT~~

~~ACT~~



**N** nomine S. Spiritus vera semper & mera Jubila à Deo Patre Filioque spirantis & ad gloriam sacro S. Trinitatis per Evangelium, ceu Jubileorum omnium in hac militia principium, atq; medium Jubilantis, & per omne Dei regnum indesinenter a primorum exordio mirabiliter, sed utiliter, & salutariter buccinantis!

Hodie per divinam providentiam adhuc Annus Jubilaeus celebratur; Sit DEO laus & gloria, sit honor & virtus & victoria nunc & in sempiterna secula! Nos per divinam benignitatem, & misericordissimam Dei Patris bonitatem immensam, meritorum Messiae numerosissimam ubertatem, & efficacissimam donorum Spiritus S. virtutem Jubilaeae Christianae militiae contemplamur, inter Jubilaeae fidei peregrinamur, mentibus nostris devotis juxta Dei verbum eadem sancte speculamur, cordibus divinitus inspiratis tanta Jubilaeae sollicitate meditamur, desideriiis intimis Jubilaeae gratiae caelestis amplexamur, & ipsum Deum gloriosum in omnibus his Jubilaeis religiose veneramus. Sit Deus in iis benedictus, sit laudabilis & gloriosus! Nullus Jubilaeorum istorum certus in sacris literis datur numerus, nullus humanus census, nullus sufficiens usus. Ascendit hic super omnia, extendit se per omnia, penetrat ad intima, descendit ad infima, & ubique sua relinquit vestigia. Totum Dei verbum patet & scatet his mysticis Jubilaeis, omnis Christianorum cœtus totus talibus est repletus, omne tempus



pus

*pus* ejusmodi *Jubilæis* est exornatum. Nos virtute Spiritus ex Paradiso, primo gratiosæ reparationis & restitutionis humani generis *tempore vernali*, secundum historiam *Paradisiacam*, *vernalia* temporis præsentis *Jubilæa*, respectu *Seminis mulieris*, veri *Messia*, fideliumque Christianorum pie notabimus, & paucis juxta *Paradisiacam revelationem* declarabimus. *Vernale tempus* hoc varia *Messia Jubilæa* monstrat in vicarii nostri *Satisfactoris*, & *Redemptoris* juxta numerum & ordinem *Jubilantium Christianorum* verè fidelium & *in semine mulieris triumphantium*, sicut hæctenus vidimus. 1. *Paschale Jubilæum non-mortis*. 2. *Paschale Jubilæum triumphantis Vitæ*. 3. *Paschale Jubilæum in Quasimodogeniti*. 4. *Paschale Jubilæum pastoralis Misericordias Domini*. 5. *Paschale Jubilæum & Cantate*. 6. *Paschale Jubilæum & vocem jucunditatis*. 7. *Paschale Jubilæum victorioso ascensionis*. 8. *Paschale jubilæum triumphantis Exaudi*. 9. *Paschale, vel pentocostale Jubilæum Spiritus S, qui Jubilantis, & buccinantis Victoris Messia Spiritus est*. 10. *Paschalis Evangelicæ tubæ sonantis, & doctrinam S. S. Trinitatis, & omnium beneficiorum ejus triumphalis ac universalis jubilantis in Patriarchis, Prophetis, & Apostolis concentus est in Festo Trinitatis, & omnibus totius anni sequentibus temporibus; DEO sit laus, honor & gloria!* Et certè si *denarium* hunc *anniversarium numerum Jubilæorum* cum *prima gratiosissimæ restorationis historia* pia sollicitudine conferimus, non *obscuram harmoniam* inter hæc *prima, & nostra novissima Jubilæa* satis clare deprehendimus. Cernimus apud *Mosen* in primo salutiferæ restorationis vere primo *Jubilæum Paschalis non-mortis*. Peccator homo *mortem omnem & corporalem & spiritualem & infernalem* meritus erat, nec ab hac mortis pœna liberari poterat, quia nullum huic incurabili malo parari poterat.

erat remedium. I. *Mors principalis*, sc. hominis corrupti, mors ex necessitate *vicarii* vel substituti esse debebat, *morsuq;* venenato vel emortuali serpens infernalis *calcaneum Messie* conterebat. Sed in media morte Messias jubilat, jubilantique voce clamat & exultat. Ps. CXIIX. v. 17. Non Moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini. *Non moriar*, etiamsi in *mortis* faucibus hæream, & *catenis mortis* prostratus jaceam, tamen *jubilans jubilando jubilabo*, 1. Cor. XV. v. 54. *Absorpta est mors in victoriam*, ubi est mors victoria tua, ubi mors stimulus tuus? stimulus autem mortis est peccatum &c. Sic per Messiae virtutem omnipotentem mors in non-mortem conversa, *Jubileum mortis non-mortis in Messia* primitus institutum & postea *jubilantibus Christianis* per fidem communicatum, cum mors hominis Christiani minimè sit *damnum*, sed *lucrum*. Phil. I, 23. *Et hoc est Jubileum verae Paschalis vite*, sicut Messias in laudato Jubilæo Psalmo CXVIII. per *jubilantem vocem* canit, *non moriar sed VIVAM. Vivam* in omnipotenti gratia! *vivam* in satisfactoria victoria! *vivam* in victoriosa gloria! Per *vitam Paschalem Messias* vel *Semen Mulieris draconem infernalem* de hominibus peccatoribus triumphantem fortiter aggressus, *vivus* alacriter ad *Paschale certamen* progressus, *vivus* cum omnibus *vite spoliis*, ex prælio crudelissimo, ceu *Triumphator invictus* gloriose fuit egressus! Et sic *Messias* statim in principio fuit *agnus Paschalis*, *agnus Sacrificialis*, *Agnus Salutaris*, *maclatus ab origine mundi* Apocalyp. XIII, v. 8. quod non tantum Messiae, sed etiam omnibus ipsius fratribus *purissimum* peperit *Jubileum*, verumque *vite Jubileum*! II. *Paschale Jubileum* est *Quasimodogeniti*, nam *Messiane vite Jubileum*, novarum generationum, & quidem *variarum*, est *artificium* & *foecundissimum genitorum & regenitorum*

Semi-

*Seminarium. Princeps regenitorum, & Principalis Quasi-  
simodogenitus ipse Messias est, qui primus tanquam  
Semen mulieris ex Matre genitus, mox etiam ex virtute  
divina quoad officium & Exaltationis statum, tanquam re-  
divivus ex mortuis nostri causa regenitus, hinc etiam pri-  
mogenitus ex mortuis à Spiritu S. salutatur Col. I, 18. Et  
hæc Messiaë generatio manet inenarrabilis & incessa-  
bilis secundum illud Es. LIII. Generationem ejus quis e-  
narrabit? Generationem enim hanc Christi sequitur  
innumerabilis series regenitorum, qui verè sunt Quasi-  
modogeniti, dum per omnem vitam in carne pecca-  
minosa subinde quoad Veterem Adamum moriuntur,  
& mox propter peccatum per fidem tanquam Qua-  
simodogeniti spiritualiter in vitam propter Christum  
reducuntur, nam Christiani vere sunt semper peccan-  
tes & in peccatis, originali videlicet & infirmitatis, mo-  
rientes, per fidem autem in Christo reviviscentes & tan-  
quam viva membra Christo firmiter adhærentes.  
Hæc est memorabilis illa Quasimodogenitura, quæ  
semper in fide permansura, ut perpetuum etiam  
hoc sit & maneat credentibus Jubilæum. III. Sequi-  
tur nunc Paschale & Misericordias Domini Canticum &  
Jubilæum. Nam quia præcedens Jubilæum luculenter  
ostendit, quod Messias naturam hominis peccatoris non  
destruxerit vel prorsus aboleverit, sed potius in ea su-  
am vitam atq; justitiam paravit, & per verbum & fidem  
imputaverit, ita quidem, ut nec pura sit in Paschalibus  
civibus vita, nec perfecta vel propria justitia, quia, si dixe-  
rimus, quoniam peccatum non habemus, nosmet ipsos sedu-  
cimus, & veritas in nobis non est, si confitemur peccata no-  
stra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra,  
& emundet nos ab omni iniquitate. 1. Job. 1, v. 8.9. Sic i-  
gitur Quasimodogeniti mox ad misericordias Domini cum*

omni suo Jubilæo remittuntur, utpote quia Deus Pater est ὁ πατὴρ τῶν οὐρανῶν, Pater omnium misericordiarum illarum, quibus in vita Christiana per Ecclesiam militantem semper opus est, cum ipsemet Paulus exclamet: *O me miserum! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. VII, 24. Dum igitur semper & indefinenter peccamus, semper & indefinenter immensam Dei misericordiam implorare debemus, ut instar boni pastoris oves infirmas ducere, pascere, ad optima pascua manuducere, & ad satietatem usq; cibo, potuq; replere, viresq; mysticas ex his subinde per totam vitam reficere velit. Hoc certe misericordie Jubilæum vite totius Jubilæum est, ut semper cum Davide jubilaré, plenoq; corde confidenter exultare queamus: *Misericordias Domini in æternum cantabo Ps. LXXXIX, 1.* & hoc sequitur IV. jubilæum in Christianorum jubilate, quod est etiam jubilæum ejulato, dum Protoplasti jubilarunt in semine mulieris, ejularunt simul in cruce afflictionibus, doloribus & laboribus & ipsa morte Gen. III, 16. seq. V. Paschale Jubilæum ἡ Cantate, quod letissimis Cantibus & Jubilis aditum & abitum Christi sonat atque resonat: Egressus ejus à Patre, regressus ejus ad Patrem, excursus usq; ad inferos, recursus ad sedem DEI, quibus breviter tota Messie Victoris, & Triumphatoris Paschalis peregrinatio describitur, sicut à Patre venit in mundum & ad homines, ut salvaret, quod perierat, quemadmodum ipsemet inquit: Filius hominis venit salvare, quod perierat. Matth. XVIII, 11. dum ad Adamum & consequenter, omnes Adami posteros in Paradiso venit, ut infernali Serpenti caput omnipotenti virtute conculcasset, & triumphalem ad Patrem reditum sibi pararet, ac in meris Jubilis triumphum hunc adornaret, quos graphice Regius Psalter Ps. XLVII, describit. *Omnes gentes plaudite*

1110

dite

dite manibus, jubilate Deo in voce exultationis, quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram. Subjecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris. Elegit nos in hereditatem suam speciem Jacob, quam dilexit. **ASCENDIT DEUS IN JUBILO**, & Dominus in voce Tuba. Psallite Deo, Psallite Regi nostro, Psallite, quoniam Rex omnis terra Deus: Psallite sapienter. Regnavit Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam; Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham; quoniam Dii fortes terra vehementer elevati sunt. Hoc canticum Jubilorum est summum, maximum & optimum, quod jubilantibus Christianis non tantum viam ad regnum cœlorum & beatam sedem Dei monstrat, sed eandem etiam à Christo, in Christo, cum Christo, parat, ut jubilantium Choros intrare, & omnes cum iis aeterna Jubila coram Deo resonare, & decantare queant, sicut Adam nullum aliud, nisi vitæ jubilantis, & in Domino gloriantis atque sibi sicut, & Evæ, imo toti posteritati viventium sincere gratulantis Genes. III, 20. sonabat & resonabat. VI. Paschale Jubileum & vocem jucunditatis. Vox jucunditatis est gratia, lætitiæque Spiritualis Evangelium Act. XX, v. 24. quod Pater cœlestis ex arcanis suis æternis in Paradiso protoplastis manifestavit, Filius Principalis & primus Evangelista statim in Paradiso instar præconis prædicavit, & Spiritus S. tanquam רוח הוה vel Spiritus Dei suo flatu cordibus primorum hominum adspiravit & inspiravit, ut in mediis tenebris, pressuris, & angustiis, doloribus & laboribus, & ipsa denique morte v. 16. & seq. veram requiem, meram consolationem, & plenam refocillationem obtinere, & retinere ac ad cœlestem cum Cherubin conversationem, & delectationem Gen. III, 24. se componere

nere

nere, ac serpentinās dolosās, damnabilesque vias ef-  
 fugere potuerit. VII. *Jubileum Triumphantis Victoris,*  
 in Cœlum ascendentis, ac ad Patris dextram confiden-  
 tis *Triumphatoris*, quia conculcato capite Serpentis, &  
 omnibus spoliis recuperatis cum captivis in altum  
 ascendit, & ad Patris dextram tandem itinerarium pe-  
 regrinationis absolvendo consedit *Messias*, sicut iterum  
*David* jubilat *Psal. LXIX. 5.* Cantate Deo, | *Psalmm*  
*dicite nomini ejus cum jubileo &c. v. 18.* *Currus Dei de-*  
*cem millibus multiplex, millia letantium, Dominus in eis in*  
*Sinai in Sancto.* *Ascendisti in altum: cepisti captivita-*  
*tem, accepisti dona in hominibus &c.* Quod *Ascensionis*  
*mysterium* maximum salutis nostræ *artificium*, & *benefi-*  
*cium*, siquidem *Christus* ut *Rex regum*, & *Dominus do-*  
*minantium*, *Apoc. XVII, 14.* est omnipotentissimus noster  
 director, Protector, & defensor, & non tantum in  
 Ecclesia militante, sed etiam triumphante nobis suis  
 fratribus perpetua parabit & communicabit *jubilea*.  
 VIII. *Paschale Jubileum Triumphantis Exaudi.* Nam *Mes-*  
*sias* propterea cœlum conscendit, ut noster fieret *Ad-*  
*vocatus apud Patrem*, secundum illud *1. Job. II, 2.* *Si quis*  
*peccaverit, habemus Advocatum apud Patrem Jesum Chri-*  
*stum, justum, qui propitiatio pro nostris peccatis est, non au-*  
*tem pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi peccatis,*  
*conf. Rom. VIII, 34.* Sic & *Adamus* piis suæ confessionis  
 precibus suam, *Eve*, cunctorumq; viventium vitam Deo  
 precibus commendabat, firmamq; fiduciam erga clemen-  
 tissimum & certissimum *Exaudi* corde servabat, & gra-  
 tissimum *Exaudi Jubileum* confidentia plenissima per o-  
 mnem vitam conservabat. Hoc *Exaudi Jubileum Ada-*  
*mo*, cunctisq; Patriarchis, & aliis fidelibus asyllum & for-  
 talitium fuit exoptatissimum & munitissimum. IX.  
*Paschale Jubileum Spiritus S.* qui *jubilantis* & *buccinan-*  
 tis



tis victoris Messiae Spiritus est. Olim in *Anno Jubilæo tuba Jubilæa* à Deo Jubilæorum autore fuit ordinata, quâ cunctis *Israëlitis jubilæus annus*, veræ libertatis annus, intimabatur. Spiritus Pentecostalis est Messiae Spiritus, Spiritus omnium *mysticarum indulgentiarum*, & spiritualis libertatis donator, *Pf. LI, 14. quia libertatis spiritus est, 2. Cor. III, 17.* Sicut etiam in Festo Pentecostali plenissimas indulgentias, & pœnitentialem remissionem peccatorum, per Apostolum *Petrum* distribuit, *Act. II, 38.* His suis indulgentiis affert *libertatem* personarum à tyrannide, Diaboli, mortis, & aliorum hostium spiritualium, *libertatem* omnium rerum, atq; bonorum quoad regnum *potentia, gratia, & gloria, libertatem* omnium actionum, dum omnes *vires, motus, actiones*, pristinae libertatis *jura, vel Privilegia* per hunc Pentecostalem Spiritum restituta sunt, qui propterea *Gen. III. 8. רוח היום* vocatur, qui servitutem tenebrarum sustulit, & in omnibus *libertatem Diei* plenariam attulit. Sic *Pentecostale Spiritus S. Jubilæum*, vere statim primo Restitutionis *Gen. III.* maxime fuit necessarium, quia *sine Spiritus Sancti Numine nihil est in homine*, prout canit Ecclesia; Et *Paulus* ipse testis est authenticus, quod *sine Spiritu S. ne quidem ullus hominum Jesum Dominum appellare possit, 1. Cor. XII, 3.* *Jubilæum* igitur *Spiritus Sancti Jubilæum primum, medium, atque novissimum*, vereque *Catholicum*, omnibus credentibus, ceu subjectis, in omnibus rebus, vel objectis, cunctisque temporibus maxime necessarium. Et hoc *Spiritus Sancti Pentecostale Jubilæum* proximum est *Jubilæo summo SS. Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus S.*, qui Jubilæorum omnium, totius Ecclesie, totius Theologie, totiusq; *Scripturae Sacrae* est *Alpha, & Omega, Centrum & Peripheria*, verus, totus, & adæquat9 Jubilæorum circulus! Et hinc X. juxta Jehovam Elohim, *Gen. III, 8. seqq. Jubilæum Paschalis, ut & Pentecostalis Evangelica Tuba sonantis, & do-*

*Trinitatem SS. Trinitatis omnibus totius anni sequentibus temporibus mysteriorum publicantis, & per totum circulum continuantis, ad spiritualia Jubileae, Evangelia Dominicalia & Festivalia, tanquam mysticas tubas inspirantis, & ad salutem piarum animarum destinantis, cum omne DEI Verbum, vel Evangelium sit per Tubicinem primarium, Spiritum S., verè cujuslibet anni Jubilæi convenientissimum organon, & plenissimum gaudiorum spiritualium preconium & nuncium, quod principaliter, & finaliter ad SS. Trinitatis Festum tendit, & cuncta mysteria SS. Triados in eo proponit, & juxta Scripturam exponit. Nam Festum Trinitatis cor, atque centrum omnium festivalium, & Dominicalium Jubileorum, ad quod cuncta precedentia, cunctaque sequentia respiciunt, totumque jubileorum anniversariorum Corpus revera constituunt. Possimus equidem prolixas meditationes sacras de nostris presentibus, & anniversariis, cum primis hoc anno secundo Jubileo Academicò, in gloriam Divini Numinis, & Magnificentissimi Regiminis, Duce Spiritu S., juxta textus Evangelicos instituire, & in iis animas nostras pascere; siquidem facile foret, juxta textus Evangelicos ordinarios non contemnendas commentationes adornare, (1) de Jubileo Paschali Non-mortis, & vite Resurrectionis; (2) de Jubileo Paschali & Quasimodogeniti sive fidelium Quasimodogenitorum; (3) de Jubileo Paschali & Misericordias Domini; (4) De Jubileo Paschali & Jubilate sub mediis Christianorum afflictionibus, & ejulationibus; (5) de Jubileo Paschali & Cantate per abitum Christi meritorium; (6) de Jubileo Paschali & Vocem Jucunditatis, & fiducialis Orationis; (7) de Jubileo triumphalis Ascensionis; (8) de Jubileo maxime desiderabilis Exaudi; (9) de Jubileo Venti, vel Spiritus Pentecostalis; (10) de Jubileo SS. Trinitatis, & ad Christianorum innumeras, easque fructuosissimas utilitates accommodare, atque cum vernalibus Paradisiacis feminis mulieris Jubilæis*

com-

comparare, vel *illas* ceu minus principales *bis* cum *prin-*  
*cipalibus & originalibus* cōvenienter subordinare: sed *Pro-*  
*grammatis* brevitatis id minime concedit, nec etiā secun-  
dum hodierni Diei, *FestiSS. Trinitatis*, *magnalia* pluribus  
persequi modo vacat, licet sit fundamentum *primum &*  
*primarium* omnium enumeratorum & aliorum etiam  
*Jubileorū*, & in Vernalibus feminis mulieris, *Gen. III.* fun-  
tissimum, verè *primum*, verè *medium*, verè *novissimum*,  
utpote quod non semel, nec iterum, nec rarius, sed fre-  
quentius, *novies* videlicet, per *IEHOVAM ELOHIM* in hoc  
capite sit introductum atq; repetitum. Et certe *Jubi-*  
*leum hoc Trinitatis* est omnium *Jubileorum*, per universam  
scripturam introductorum, plenissimum *Seminarium*,  
sicut ex evolutione *S. Codicis* cuilibet ad oculū patebit.  
*Oracula* clasica de *mysterio SS. Trinitatis* passim in Veteri,  
Novoq; Testamento obvia sunt, inter ea per modum  
tubæ *Jubilææ* sonat, ac resonat, aures piorum circum-  
sonat, & *magnalia* hujus summi *mysterii* cordibus san-  
ctorum per verbū, veramq; fidem ad *purissima gaudia*, &  
*exoptatissima Jubileæ* iaculariter insonat & intonat illud  
*Esaiantum c. XLVIII, 16.* ubi *Mesias* ipsemet factus est  
*Præco*, vel *Buccinator* hujus *Jubilei*, verbis planissimis ple-  
nissimisq;, luculenter significantibus, & efficaciter pe-  
netrantibus: *Misit me Iehova, & Spiritus ejus*: vel secun-  
dum alios: *Et Spiritum suum*, cum *uterq; Filius, & Spiritus S.*  
fit Patris ad homines salvandos desideratissimus Lega-  
tus, sicut, præter alia, *Jubileæ decem*, laudata superius,  
abundantissime testantur. O quam *letum*, quam *jucun-*  
*dum*, quam *utile*, quam *salutare*, patet ex verbis brevis-  
simis, sensu plenissimis, præsentis oraculi *Jubileum!* ex  
quo meras & miras *divitias Jubileorum spiritualium & cœ-*  
*lestium* per *Sancti Spiritus* assistentiā colligere possemus.  
Sed vice nostra hoc egregie præstabit *VIR MAXIME RE-*  
*VERENDUS, AMPLISSIMUS ET EXCELLENTISSIMUS DN.*

M. FLORIANUS KLEPPERBEIN, SILESIVS, OLIM APUD NOS PHILOSOPHICÆ FACULTATIS ASSESSOR DIGNISSIMUS ATQVE MERITISSIMUS, HACTENUS LYCEI JEVERANI PROVINCIALIS RECTOR OPTIME MERITUS, NUNC EX GRATIA SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS ANHALTINI, ET DOMINI, DN. CAROLI WILHELMII, PASTOR, ET SUPERINTENDENS LAUDATÆ PROVINCIAE JEVERANÆ VOCATUS. Hic, cum ex Clementissimo NUNQUAM SATIS LAUDANDI PRINCIPIS nutū suum in *Collegio nostro* nomen esset professus, & consentientibus *Patrum* suffragiis viam ad *Specimina* consueta *Licentiatorum* ingressus, inter alia memorabile hoc, vereq; iubilæum de SS. Trinitate solenniter, ei *Lectioinum Cursoriarum* loco demandatum, Sed juxta laudabilem Majorum consuetudinem vitæ curriculum prius hîc in *Programmate* publicandum.

*Laudatissimus* autem *Dn. Candidatus* noster, ex Divina providentia primam hujus mundi lucem vidit Anno 1655. d. 28. mensis Aug. *Rückersdorffii Silesiorum, Ducatus Saganensis* Pago; *Patrem* nactus, piæ memoriæ, Virum Maxime Reverendum, & Clarissimum *Dn. M. Florianum Klepperbein* tum temporis ibidem Pastorem fidelissimum, postmodum autem apud *Glogoviensis Ecclesiæ Lutheranae* Diaconum bene meritum; *Matrem* vero Matronam piissimam, *Marjanam Pfefferiam*, Beati *Joachimi Pfefferi*, Pastoris Neostadiensis & superato exilio, *Lesnensis in Lusatia superiori* filiam. *Parentes* optimi hunc suum *primogenitum* grata pietate, piaque gratitudine, ceu peculiare Dei donum cum gaudio susceperunt, & post generationem carnalem ad *baptismum* spiritualis regenerationis lavacrum statim promoverunt, piisque precibus egregia Spiritus Sancti dona non absque felici futuro successu largius obtinuerunt. Ex quo per Divinam benedictionem non obscura bonæ mentis, & ingenii felicitis in filio dilecto  
signa

signa comparuerunt, quæ tanto majorem impetum ad probe formandum & informandum hoc cœlestis gratia depositum in naturalis vitæ curatoribus commoverunt. Prima veræ pietatis cura fuit, cujus fundamenta per informationem privatam feliciter posita sunt, & per Dei gratiam accessione primorum eruditionis rudimentorum spem egregiam, eamque non incertam parentibus attulerunt, ut anno ætatis sexto ad Scholam Saganensiss culturam ablegarint, quod consilium fructu non caruit, siquidem B. pater ob felices studiorum progressus post triennium consultum duxit, eum e Schola Saganensi revocare, sua diligentia privatim cursum bene cœptorum studiorum adjuvare, privatisque Præceptoribus sub inspectione paterna continuationem studiorum commendare voluit, usque dum Patre, unâ cum reliquis Ducatus Saganensiss Pastoribus Anno 1668. in exilium acto, ac mox ad Ecclesiam Glogovienssem vocato, in disciplinam Dn. Martini Rampoldi, Cantoris quidem, sed viri humaniorum literarum peritissimi, traderetur; cujus etiam ductu per triennium tantos in linguis Latina & Græca profectus sibi acquisivit, ut ad Gymnasium ablegandus Oratione Latina, & proluxiori Carmine elegiaco Græco ipsius Scholæ valediceret. Interim & B. Patre auctore ac informatore prima fundamenta Ebraissmi, & Chaldaismi biblici posuit, ac Mense Majo Anno 1671. ad Görlicense Gymnasium accessit, prævioque examine à Gymnasiarcha Christiano Funcchio ordini medio Classis primæ insertus, integro quadriennio studia cœpta, non infeliciter auxit, dum in actibus Gymnasii publicis coram Patronis, & aliis auditoribus specimina soluta pariter ac ligata orationis in lingvis Latina, Græca, & Ebraica frequenter exhibuit, ac de mysterio Trinitatis, Præ-Adamitis, & ludis scenicis publice disputando ingenii

vires exercuit; Tandem vero, A. 1675. *mensē Martio* *Oratione Latina* proprio Marte elaboratâ consensu Præceptorum valedixit, ac in domo paterna per integrum trimestre hæsit, & sub manu ductione B. parentis fidelissima fructuosam repetitionem instituit, & *lingue Syriacæ & Arabicæ* principia reliquis studiis adjecit. *Academiam* hanc adiit *mensē Julio* ejusdem anni, atque à *Rectore Magnifico, Joachimo Nergero, J. U. D. & Pand. Prof. Publ.* inter Cives Academicos receptus, primum *Philologiam* cum *Philosophia* conjunxit. Et quidem uberiores in lingvis Orientalibus scientiam sibi acquisiturus, tum *B. Andrea Sennerti, Academia Senioris, & Ling. Orient. Prof. Publ.* confilio & Bibliotheca usus est, tum etiam *M. Hilligerum, Fac. Phil. Adj.* privatim audivit. *Græcarum literarum* uberiores divitias à *B. Baltas. Stolbergio, istarum literarum Prof. Publ.* frequentatis ejus Scholis privatis, ac plurimum ad publice ventilandas ex hac literatura disputationes ab eodem invitatus, acquisivit. Historiam ex ore Polyhistoris *Conr. Sam. Schurzfleischi* hausit. Ad excolendum Philosophiæ studium mox sub ipsius ad *Academiam* accessum sibi adscivit *Præceptorem & Contubernalem M. Nic. Benedictum Pascha, t. t. Ord. Phil. Adjunctum, nunc Gymnasii Stargardiensis Rectorem, & Professore*, sub cujus Præsidio etiam de *Conjugatis Entis* publice cum laude disputavit. Interim tamen & *B. Christianum Donati, Prof. Publ. Logica, Metaphysica, Pneumatica & Physica systemata tradentem, ac B. M. Rüdellum, Fac. Phil. Adj. Mathematicas disciplinas docentem* diligenter audivit. Dum autem in his studiis versabatur, ad capeffendum *Magisterii gradum* iussu Præceptorum ac Patronorum adductus est, atque ita à *Decano M. Pascha* in Promotione autumnali A. 1676. *Magister* creatus, primum inter competitores locum obtinuit. Absolutis tandem post aliquod tempus *Philologia & Philosophiæ* studiis,

diis, *Theologia* totum se dedit, atque ita gratulatur sibi, se  
audivisse *Theologos magni nominis, B. Calovium, Theologiam*  
*Positivam* publice dictantem, ac explicantem, item *Sy-*  
*stema Theologicum* partim repetentem, partim continu-  
antem, *Controversiasq; Syncretisticas* discutientem, *B. Quen-*  
*stedium, Theologiam moralem ac Systema Theologicum* edisse-  
rentem, *B. Waltherum, Königii Theologiam Positivam* expli-  
cantem, & *controversias Theologicas* solide decidentem, *B. Greenium, Scripta Patrum, Historicorumq; Ecclesiasticorum*  
recensentem, inprimis autem *Lectionibus Theologicis, &*  
*Exercitiis disputatoriis* perpetuis Summe Reverendi Se-  
nioris *D. Deutshmanni*, Patroni Patris instar venerandi,  
plurimum se debere gratisimo ore profitetur. Et  
licet labente A. 1679. huic Academiae valedixerit, ac in  
Patriam secesserit, persuasus, spem sibi promotionis  
affulsuram, visis autem, quibus patria implicaretur,  
difficultatibus, sequenti anno ad Academiam nostram  
rediit, *Vocationem* ex illustri hoc loco *divinam* expecta-  
turus. Reversus itaque studia *Theologica* repetiit, si-  
mulq; ad experiendas ingenii dotes ipse Collegia di-  
scipulis aperuit, tum primam Philosophiae discipli-  
nam privatim tradendo, tum Philologiam praecipue  
sedulis Auditoribus inculcando. Neque defuit insti-  
tuto huic felix rerum successus, adeo ut non sine ap-  
plausu Praeceptorum *profectus Studiosorum in Linguis O-*  
*rientalibus*, ipsaq; *Scripturam Sacram interpretandi ratione*  
multum promoverit, *famamq;* sibi non exiguam inter  
Academiae Studiosos pepererit, quae pariter ad vicinos  
& externos non absque fato transiit. Ut vero ipsi facul-  
tas docendi ab *Amplissima Facultate Philosophica* concede-  
retur, primum sub *Præsidio Polyhistoris Excellentissimi*  
*Dn. Schurzleischii Monarchiae Assyrio-Chaldaicae primordia,*  
dein ipse *praeses historiam Poeseos Germanicae* publice ven-  
tilanda proposuit, pluraque alia specimina edidit, ut  
tan-

tandem A. 1683. d. 19. Febr. inter Ordinis Philos. Adjunctos recipi meruerit, atq; ita Historiam artis scriptoriae disputatione publica evolvendo locum obtinuit, ac superiorem in Auditorio Majori Cathedra conscendendi licentiam impetravit. His ita transactis à Serenissimo, ac Celsissimo, DOMINO, DNO. CAROLO WILHELMO, PRINCIPE ANHALTINO, Duce Saxoniae, Angriae & Westphaliae, &c. &c. ad Rectoratum Scholae provincialis Jeveranae vocatus est, atque vocatione hac divina ac insperata contentus, Disputatione publica de Confessione sub meo praesidio valedixit. Functus hoc officio per novendecim annos, ac benedictione divina suffultus, non paucos ad Academias emisit discipulos, rei scholasticae, si Deo ita visum fuisset, lubens immoriturus. Ast divina Sapiencia eum à Cathedra scholastica ad Ecclesiasticam promovendum esse existimavit, dum Consilia SERENISSIMI PRINCIPIS ANHALTINI, PATRIS PATRIAE EXOPTATISSIMI, LAUDATISSIMIq; SUMMIS PRINCIPIBUS IN EXEMPLUM ET GLORIOSAM IMITATIONEM DIVINITUS DATI, DOMINI MEI GRATIOSISSIMI, eò direxit, ut eum haut ita pridem *Consiliarium Ecclesiasticum, Pastorem primarium ac Superintendentem Jeveranum* renunciaret, ac, legitima vocatione data, constitueret. Nos piis precibus breviter in omnibus addimus per Divinam Gratiā FELICITER! Hic meritissimus *Candidatus noster*, SUB AUSPICIIS GLORIOSISSIMIS MAGNIFICENTISSIMI RECTORIS, AC DOMINI, DN. FRIDERICI AUGUSTI, &c. &c. (Cujus Memoria & Gloria semper sit, & maneat in benedictione!) Favente SS. Trinitate *labores publicos Licentiandorum per Orationem consuetam ad diem crastinum hora IX. inchoaturus*, ad cujus benevolentiam auscultationem PRORECTOREM MAGNIFICUM, *Illustrissimos Barones, Academiae Patres, & Cives, cum aliis honoratissimis Hospitibus* solenniter invito, atq; *Theologiae Studiosis eruditissimam Oraculi Messiani de SS. Trinitate, Esa. XLII, 16. Explicationem* promitto. *DEUS veritatis, & Pacis*, in veritate salutifera nos paterne custodiat, *miseris Ecclesiae fati*, in *mysticis, & aliis Jubilaeis* caelitus benedicat, *mala clementer averruncet, bona largissime cumulet*, & imprimis *tempora pacis desideratissima continuet*, propter *Christum Jesum*, omnium pacis Principem! fiat! in *Nomine Jesu* fiat! P.P. in Festo Trin. - Anni M. DCC. II. per Dei Gratiā Jubilaei Academici secundi, perq; Divinam providentiam vere secundi!

Coll. Diss. A. 1683, Wilh. A.